

H. Sax. C
315

H. Sax. C
315

~~H. Jungblut 2336~~

OFFICIUM FVNEBRE
Q V O D
INDVLGENTISSIMO
N V T R I T O R I

XVI CALENDAS IANVARIAS ∞ MDCCLXIII

PRAEMATVRE DEFVNCTO

PROVINCIALIS SCHOLA PORTENSIS

PRAESTABIT

INDICIT

CHRISTIANVS GODOFREDVS GRABENERVS

A. M. ET RECTOR.



L I P S I A E
EX OFFICINA LANGENHEMIA.

697. a *528*

OFFICIUM LITURGICUM

1700

REDACTIO

IN VITAM

ET

...

PROFICIAMUS

...

CHRISTIANIS

...



LITURGIA

...

828



Oscitantis, atque dormitantis, sapientiae ita meminit ANTONIVS ille CICERONIANVS^{a)}, ut, oscitare, et dormire, uiri sapientis non esse, satis intelligatur. Nec mirum. Si enim sapientia in accurata rerum pensatione, et attenta causarum, quae illas circumstant, omnium animaduersione, imo ingeniosa, et sagaci, tum latentium, tum futurarum, rerum, atque causarum, diuinatione, posita est, quippe sine quibus accommodatissima rebus consilia nec intelligi, nec capi, possunt, languore sane, et desidia, omni absteineat, necesse est, qui sapientis nomine, et laude, ornari cupit. Sapientissimis igitur deorum, hominumque, consiliis uigilantiam tam indissolubili uinculo coniunctam censuerunt etiam a ueri numinis cultu alienae gentes, ut eos uigilantiae sollemnibus formulis admonendos duxerint. SERVIVS, solers ille rituum antiquorum scrutator, hunc quoque ritum ab obliuione uindicauit, eiusque nobis conseruauit memoriam. *Vigilasne, inquit^{b)}, deum gens? Vigila! uerba sunt, quibus pontifex maximus utitur in puluinaribus, alioque loco^{c)}: Is, qui belli suscepit curam, sacrarium MARTIS ingressus, primo ancilia commouebat, post hastam simulacri ipsius, dicens: MARS uigila! et tandem^{d)}: Vigilasne deum gens? uerba sunt sacrorum. Nam uirgines VESTAE certa die ibant ad regem sacrorum, et dicebant: Vigilasne rex? Vigila! BRISSONIVS^{e)}, ad hunc ritum delatus, eum quidem memorat, sed inter formulas tantum pontificias, sic autem distinguenda non satis distinguit, quod nec solus pontifex maximus hac formula usus est, nec soli dii ea compellati sunt. Si enim SERVIO fides habenda est, ita salutati sunt dii omnes a pontifice maximo, MARS a belli duce, rex autem sacrorum a uirginibus VESTALIBVS.*

Quaquam autem nemo sit, qui infitietur, aut infitari possit, eas res, quae diuinae curae, et tutelae subsunt, perpetua curantis, tutantisque, numinis indigere uigilantia, male tamen consultum esset humanis rebus, si illis eiusmodi inuigilaret numen, quod ad uigilantiam illam necessariam iterum, iterumque, excitandum esset. Talia autem fictorum numinum cultoribus numina sua uisa esse, DEYLINGIVS^{f)}, LAKEMACHERVS^{g)}, BIDERMANNVS^{h)}, et alii, qui de deorum somno, ueroque deo nunquam dormitante, commentati sunt, satis, superque docuerunt.

Humanae uero imbecillitatis, studiique humani, etiam praeter uoluntatem saepissime languentis, memor, uel me non monente, intelliget, eiusmodi ad uigilantiam excitationem tum opportunius adhiberi, quum grauissima negotia ab hominibus administrantur. Quod autem negotium esse potest grauius, quam quod in cura sacrorum, cultuque diuino, positum est? Nihil igitur superuacanei, aut incongruentis, fecisse uidentur VESTAE uirgines, quum ad regem sacrorum certa die accesserunt, consignatisque a SERVIO uerbis usae sunt, et modo dolendum est, diem latere, qua illud factum sit, quod eius notitia totus ritus luce multa circumfunderetur.

Sed forsan aliquis mirabitur, non etiam ad reges, populorumque principes, eodem modo accedendi, iisdemque uerbis utendi, morem obtinuisse, quum

X 2

ab

a) De Oratore L. II. Cap. XXXIII. b) Ad VIRGILII Aeneid. L. II. u. 148. c) Ad VIRGILII Aeneid. L. VIII. u. 3. d) Ad VIRGILII Aeneid. L. X. u. 228. e) De formulis et sollemnibus populi ROMANI uerbis, L. I. p. m. 118. f) In obseruationibus sacris, P. I. Obseru. XXVI. p. 121-124. g) In obseruationibus philologicis, P. VIII. Obseru. III. §. 6, et 7. p. 66-70. h) In programme de diis dormientibus, edito FREIBERGAE, 1737.

ab eorum uigilantia innumerorum hominum falus pendeat. At enim nonne, quaeso, eiusdem officii illa sollempnis formula consules ROMANOS admonerat, qua illis permittebatur res publica, dum *uidere, prouidere, curare*, aut *operam dare*, iubebantur, *ne quid res publica detrimenti caperet*¹⁾? Nonne his uerbis ad summam uigilantiam excitabantur, quum ea in primis opus erat? Imo nonne eodem spectat illud a IOVE ad dormientem AGAMEMNONEM decipiendum missi, NESTORISQUE formam mentientis, SOMNI monitum^{k)}, quod HELIUS EOBANVS HESSVS ita uertit:

*Tota nocte uirum regem dormire, pudendum est,
Cui populi, cuius commissa negotia curae
Maxima sunt.*

Digna igitur MAECENATIS persona laus est, quam ei tribuit VELLEIUS^{l)}: *Vir*, inquit, *erat, ubi res uigilantiam exigeret, sane exsommis, prouidens, atque agendi sciens*. Eodem consilio curam, officiumque, consulis, senatorisque, ROMANI uigilantiam uocat *consularem, ac senatoriam*, TVLLIUS^{m)}, et de toto senatu ROMANO ita iudicatⁿ⁾: *In hac custodia, tanquam in specula, collocati sumus, ut uacuum metu populum ROMANVM nostra uigilia, et prospicientia, redderemus*. Quod autem uigilantiae officium qui negligunt, principes suo, suorumque ciuium, damno experiuntur, quod GRYPVS ille PLAVTINVS de cunctis, oscitanter agentibus, dicit^{o)}: *Qui dormiunt libenter, sine lucro, et cum malo, quiescunt*.

Haec differo, dum uulnera SAXONIAE uix alligata recrudescunt, dum, quod nulla calamitas sola, carissima patria experitur. Excessit enim e uita, qui uix ad patriae gubernacula accesserat, SERENISSIMVS PRINCEPS, ATQUE DOMINVS, FRIDERICVS CHRISTIANVS, REGIVS PRINCEPS POLONIAE, ET LITHUANIAE, DVX SAXONIAE, IVLIAE, CLIVIAE, MONTIVM, ANGRIAE, ET VESTPHALIAE, SACRI ROMANI IMPERII ARCHIMARESCHALLVS, ET ELECTOR, LANDGRAVIVS THVRINGIAE, MARCHIO MISNIAE, ET SUPERIORIS, ATQUE INFERIORIS, LVSATIAE, BVRGGRAVIVS MAGDEBURGI, COMES HENNEBERGAE, PRINCIPALI DIGNITATE EMINENS, COMES MARCAE, RAVENSBERGAE, BARBY, ET HANOVIAE, DYNASTA IN RAVENSTEIN, CETERA, PATER PATRIAE CLEMENTISSIMVS, NVTRITOR HVIVS PROVINCIALIS SCHOLAE INDVLGENTISSIMVS. Secunda decimi septimi Decembris diei anni millesimi septingentesimi sexagesimi tertii hora EVM septuagesimo tertio suscepti nouemuiratus die nobis eripuit, quum quadragesimum secundum aetatis annum ageret, auditaque ILLIVS morte SAXONIA

*Non aliter stupuit, quam qui, coeli ignibus ictus,
Viuat, et est uitae nescius ipse suae^{p)}.*

Amisit enim omnino SAPIENTISSIMVM, CLEMENTISSIMVM, ET VIGILANTISSIMVM, PATRIAE PATREM, cuius uere, et cum ratione, in illa admonetur precum publicarum formula, quae post EIVS obitum pro concione sacra recitata est^{q)}.

HORATIVS, IOVEM suum laudaturus, canit^{r)}:

*Non uiget quicquam simile, aut secundum,
Proximos illi tamen occupauit
PALLAS honores.*

Fallor, an his uerbis de sapientia HORATIVS idem praedicat, quod CICERO^{s)} de misericordia, *homines nimirum ad deos nulla re propius accedere*. Certe non ipsa

i) Conf. BRISSONIVS loc. cit. L. II. p. 211, sequ. k) Conf. HOMERVS Iliad. B. u. 24, sequ.

*Ὁν χρεὶ πανύχλιον εὐδῶν βεληφόρον ἄνδρα,
ὅτι λαοὶ τ' ἐπιτρέφεται, καὶ τόσσα μέμλε.*

l) Hist. Rom. L. II. Cap. LXXXVIII, §. 2. m) In oratione Philipp. I. Cap. I. §. 1. n) In oratione Philipp. VII. Cap. VII. §. 1. o) In Rudent. Act. III. Scen. II. u. 18. p) Quae uerba sunt OVIDII Trist. L. I. Eleg. III. u. 11, sequ. q) Einen so weisen, und sorgfaeltigen, als huldreichen, Landesvater. r) L. I. Od. XII. u. 18, sequ. s) In oratione pro LIGARIO, Cap. XII.

ipsa tantum sapientia, uerum etiam sapiens princeps, coeleste, ac diuinum donum iure censetur. Si enim, auctore TULLIO^{t)}, *sapientissimum esse dicunt eum, cui, quod opus sit, ipsi ueniat in mentem, proxime accedere illum, qui alterius bene inuentis obtemperet*, coniuncta utriusque generis in bono principe sapientia non potest non esse admirationi omnibus, ciuibusque piis signum quasi ad bene sperandum tollere, eorumque tanti principis reuerentiam mirifice confirmare, atque augere.

Talis autem princeps erat SERENISSIMVS FRIDERICVS CHRISTIANVS. Diuinum HUIVS PRINCIPIS ingenium exempla SERENISSIMORVM MAIORVM, et prudentissimorum, maximorumque, uirorum praecepta, ita effinxerant, et perpoliuerant, ut nulla res esset tam ardua, quin illius ueras causas quam accuratissime perspiceret, iisdemque accommodatissima consilia caperet. Nec eorum dedignabatur studium, quorum prudentiam, et fidem, in consulendo perspexerat, sed, quum unius curam tot consiliis, quot patria indigeret, capiendis non sufficere, putaret, EIVS erat sapientiae, omne probare consilium, quod salubre uidebatur, quicumque illius auctor esset. Sic autem euenit, ut breuissimum ILLIVS principatus spatium tot, et tanta, summae sapientiae documenta nobis exhibuerit, ut, quam diutissime patriam rexisset, et ad summam senectutem uixisset, censendus sit, si *uitam* EIVS, ut SENECA^{u)} loquitur, *non tempore, sed actu, metiamur*.

Cum tanta sapientia summam coniungebat gratiam, clementiamque. *Tuebatur*, ut TULLII^{x)} uerbis utar, *dignitatem gratia*. Omnis enim EIVS principatus gratiam spirabat. Hanc significabat communi omnium saluti intentissimus animus. Hac fruebantur singulari modo, qui ea in primis digni uidebantur. Eadem multo plures, immo innumeri, usi essent, nisi inopina mors haec, et plura, subito intercepisset. Ut consilio, perugioque, indigentes ROMANI illo nullo tempore destituerentur, nec nocte, nec interdiu, claudebantur plebis tribunorum domus. Eiusmodi consilium nec SE indignum TANTVS PRINCEPS iudicabat. Parebat enim cuique ciuium ad EVM aditus. Admisso licebat cum PRINCIPLE colloqui. Sollicite quaerebat ex illo PATER PATRIAE priuatas, publicasque, calamitates, dimissusque eiusmodi ferebat responsum, ut OVIDII uerbis^{y)} uti posset:

*Vidi ego TE tali uultu mea fata gementem,
Qualem credibile est ore fuisse meo.*

Si uero quoduis sapientiae, et gratiae, documentum summam uenerationem meretur, quantam, quaeso, utrique debemus, quum nunquam oscitat, nunquam dormitat? Talis autem erat sapientia, et gratia, TUA, SERENISSIME FRIDERICE CHRISTIANE, qua immortale nomen TIBI peperisti. Nunquam enim opus erat accedentibus, qui TE his uerbis alloquerentur: *Vigilansne PRINCEPS? Vigila!* Sed quasi TE nullae salutis nostrae curae defatigare, aut frangere, possent, illi sic inuigilabas, ut TE consilio, quantum poteras, pro nobis excubantem, uigilantemque, opprimeret mors praematura.

*Nam subit illius tristissima noctis imago,
Quae TIBI supremum tempus in orbe fuit^{z)}.*

Octaua audiebatur hora uespertina, publicisque expediendis negotiis intentum TVI TE uidebant. Ad duodecimam usque ea, qua solebas, uultus, animique, serenitate de rebus, ciuibus TVIS saluberrimis, colloquebaris. Nec, nisi mortis uis, efficere poterat, ut uigiliam TVAM alteri traderes. Sic claudebat quidem mors lumina TVA uigilantissima, sed, quanta cura etiam moribundus TVIS, nobisque, inuigilaueris, longa insequentium annorum series testabitur.

Nihil sane nobis accidere potuisset luctuosius, nobis, inquam, qui maxima TUA in nos merita non tantum uidebamus, sed et ea, qua decebat, pietate uenerabamur. Talis omnino PRINCIPIS medica manu indigebant uulnera patriae, tali consolatore animi ciuium, MITISSIMVM AVGVSTVM pie, et acerbe,

t) In oratione pro CLEVENTIO, Cap. XXXI. u) Ad LUCILIVM Epist. LXXXIII. x) Ad ATTICVM L. I. Epist. XVII. y) Ex Trist. L. III. Eleg. III. u. 37. z) OVIDIVS L. I. Eleg. III. u. 1.

be, lugentium. Sed ille opitulator, ille consolator, nobis eripitur. Quot ergo gemitus fiunt! Quot lacrimae profunduntur! Quot alia acerbissimi luctus signa eduntur! Quot uota irrita sunt! Omnes enim pro diutissima T V A uita ardentissima uota nuncupabant. Omnes precabantur, ut T I B I bona quaeuis, imo omnium optimum, obtingeret. Sed illis idem accidit, quod matri C L E O B I S, et B I T O N T I S, A R G I V O R V M iuuenum. Tanta hi pietatis suae in matrem specimina ediderant, ut haec, H E R O D O T O teste ^{a)}), a numine precaretur, ut illis praemium daret pro pietate, quod maximum homini dari posset a deo. Epu- lati igitur cum matre adolescentes quum somno se dedissent, mane inuenti sunt mortui. Quamuis enim mater sic intellexerit, maximum pietatis praemium mortem esse placidam, ea tamen sibi praemature ereptos esse pios filios, uehementer dolebat. Sic quoque omnes, qui T I B I, S E R E N I S S I M E F R I D E R I C E C H R I S T I A N E, bene precati sunt, ciues acerbissime dolent, placidam mortem, tanquam sapientiae, gratiae, et uigilantiae, summae praemium, T I B I praemature obtigisse. Decessisti ergo, et nunquam ad nos redibis. T V A E uero sapientiae, gratiae, uigilantiaeque, memoria erit sempiterna. Omnia tot, tantarumque, uir- tutum specimina grati usque uenerabimur, nec T V A S laudes ignorabit, aut ta- cebit, fera posteritas. Mihi uero haec omnia reuoluenti T I B I obeunti accom- modare liceat, quod I O A N N E S O W E N V S, quum H E N R I C V S, W A L L I A E P R I N C E P S, anno millesimo sexcentesimo duodecimo obiisset, cecinit ^{b)}):

Mortuus est flendus lacrimarum flumine PRINCEPS,

Spes aevi, populi gloria, principum honor.

Viuis honoratur PRINCEPS, exstinctus amatur,

Gentis honos, et amor, dum fuit, ILLE fuit.

Haec ego dum madidis mecum meditarer ocellis,

Salsa mihi e gemino guttula fonte fluit.

Non ignare mali, lector, mihi credito, fletu

Sermonis cogor rumpere fila. Fleo.

Sed, stillantibus adhuc lacrimis, occurrit amabilis imago S E R E N I S S I M I F R I D E R I C I A U G V S T I, paternarum dignitatum, terrarum, uirtutumque, heredis optimi. Rorant quidem E I V S quoque oculi lacrimis, sed, o quam laudabilis in O P T I M V M P A R E N T E M pietatis indices hae lacrimae sunt, quantumue boni inde auguramur! I P S E S I B I a lacrimis temperare non potest, et totus tamen in eo est, ut acerbissimum V I D V A E M A T R I S luctum blandissimis consolatio- nibus leniat. Exemplo est S E R E N I S S I M I S F R A T R I B V S, S O R O R I B V S que, quae pietas O P T I M A E M A T R I S debeatur, ut inde cognoscamus, quantum uirtutum omnium exemplum, principibus omnibus, ciuibusque suis, aliquando fit praebiturus. Illis eminendi audis, quae principes ornant, populosque felices reddunt, cum cura attendit, et sequitur, praecepta P A T E R N A, saluberrima S A P I E N T I S S I M A E M A T R I S monita, et summorum, peritissimorumque, uirorum consilia. Haec omnia aliquandiu saltim interpellant singultus piorum ciuium. Sed eadem hos etiam excitant, ut supplicibus precibus supremum ue- nerentur numen, ut T E, S E R E N I S S I M E F R I D E R I C E A U G V S T E, seruet, tueatur, et ita fortunet, ut in T E, patriae gubernaculis olim admoto, non modo, P A T R I S T V I D E S I D E R A T I S S I M I sapientiam, gratiam, atque uigilantiam, sed illam quoque felicitatem, miremur, cuius usu praematura mors P A T R E M T V V M priuauit! M A T R E M quam unice diligis, et ueneraris, S E R E N I S S I M A M M A R I A M A N T O N I A M, ita soletur T V A pietas, T V A incolumitas, T V A P A T E R N A R V M uirtutum aemulatio, ut eo minus doleat, quo plus spei, lacti- tiae, et gloriae, in T E collocatum uidet, et quo certius confidere potest S A X O N I A, se in T E rediuuium ueluti F R I D E R I C V M C H R I S T I A N V M aliquando esse ueneraturam! Nunquam turbet T V A M, S E R E N I S S I M A E Q V E M A T R I S tranquillitatem animi quicquam aduersi, quod S E R E N I S S I M I S T V I S F R A T R I B V S, S O R O R I B V S que, eueniat, sed omnes potius ita adulescant, et flo- reant, ut de I L L I S pie lactandi materia fidis S A X O N I B V S nunquam desit!

Imo

a) L. I. Cap. XXXI.

b) Epigramm. L. III. Epigr. CI.

Imo TOTAM SERENISSIMAM DOMVM SAXONICAM, ad quam ornandam natus es, ita diuina prosperet prouidentia, ut quam luculentissime pateat, placere DEO, eidem post tot turbines dulcissima indulgere halcyonia! Quum autem humeris suis sustineat illa, quae TE aliquando expectant, onera SERENISSIMVS REGIVS PRINCEPS, XAVERIVS, eo uigore, ac robore, supremum numen ILLVM exornet, quo ad tantum feliciter regendum populum opus est, ut inter prosperrimos prudentissimorum consiliorum successus et de TE, et de patria, tam bene mereatur, ut iustum tantorum meritorum praemium non esse non possit aeterna, gratissima, et gloriosissima, eorundem memoria!

Haec animo pio, TIBIQUE deuotissimo, precatur PORTA, TVO beneficio multorum bonae spei iuuenum alma mater, quos publico usui praeparat, quae se, suosque, gratiae TVAE, ea, qua par est, reuerentia et in posterum commendat, iam uero, pietatem suam significatura publice, *nonum Februarii diem* actui destinauit oratorio, quo DESIDERATISSIMVM FRIDERICVM CHRISTIANVM pie lugebit, SERENISSIMO autem FRIDERICO AVGVSTO successiorem in paternum principatum ea, qua par est, animi obseruantia gratulabitur. Interpres duplicis huius pietatis publico nomine erit clarissimus huius prouincialis scholae CONRECTOR, DOMINVS

M. GOTTHFLFF EHRENFRIED BECKERVS.

Tum duo alumni eo ordine uerba facient, ut

IOANNES GEORGIVS MESSERSCHMIDT,

Radebergensis,

de die decimo septimo Decembris MDCCCLXIII, aureae aetatis beneficia, et comoda, lugentibus SAXONIBVS in memoriam reuocante, oratione latina prorsa dicat,

BERNHARDVS FRIDERICVS HESSLERVS,

Greussenfis,

uero *spem lugentium SAXONVM* carmine uernaculo canat. Intermixti etiam audientur musici concentus, luctui publico consoni. Quam pietatis nostrae significationem publicam ut dicto *nono Februarii die, secunda post meridiem hora*, praesentia sua et probet, et ornet, PATRONORVM, et AMICORVM, frequentia, ea, quam cuique debemus, obseruantia rogamus! Perscripsi in prouinciali schola PORTENSI, VII Calendas Februarias, MDCCCLXIII.

Text zur Trauermusic.

Vor der Trauerrede.

O Gott, betäubt durch neue Schrecken

Bebt ein schon hart geschlagnes Land.

Es bluten noch die alten Wunden;

Schon wird ein neuer Schlag empfunden.

O Gott, wie schwer ist deine Hand! B. A.

Ach! Friedrich, der uns trösten sollte,
Als Friedrich August starb,
Eilt, als Er es aufs Beste leisten wollte,
Und aller Reigung Sich erwarb,
So plötzlich aus der Welt!

Wie

Wie beugt uns dieser Fall zur Erde
 Wie klagten wir so unversehrt!
 Doch selbst die Zunge stockt,
 Da Friedrich fällt.

Ihr Seufzer zeugt von unserm Jammer,
 Wenn dieser uns den Mund verschließt!
 Ihr Augen, lehrt durch trübe Blicke,
 Daß unser trauriges Geschicke
 Weit über alle Thränen ist! B. A.

Nach der Trauerrede.

Wie viel entzieht uns jene Gruft,
 Die unsern theuern Friedrich decket!
 Huld, Weisheit, Sorgfalt, schmückten Ihn,
 Und alles, was uns angediehn,
 Und Ihn ein ewig Lob erwecket,
 Macht, daß ein Jeder thränend ruft:
 Wie viel entzieht uns jene Gruft,
 Die unsern theuern Friedrich decket!

Doch, Gott, wir danken dir,
 Daß du uns Friedrichen gegeben,
 Ob du gleich seinem theuern Leben
 Ein kurzes Ziel gesetzt.
 Denn folgt Sein Sohn des Weisen Vaters Lehren;
 So bleibt dein Wohl, o Sachsen, unverletzt,
 Und niemand kann Dich, Friedrich August, ehren,
 Der nicht zugleich an Deinen Vater denkt,
 Und Seiner Asche Thränen schenkt.

Gott der Götter,
 Laß die Wetter
 Nun vorüber seyn!
 Eil, uns wieder zu erfreun!

Friedrich August blüh im Segen
 Sein- und unsrer Wünsche wegen,
 Und mit Ihm Antonia!
 Laß Kaverens Wunsch gelingen
 Sachsen Glück und Heil zu bringen!

Ueber Ihn,
 Und das ganze Hohe Haus
 Breite sich dein Segen aus! B. A.

H. Lat. C. 315

